

est indoles, ut non minus discordes inter se sint, quam cum veritate pugnant.

Quidquid porro sit de varia ratione qua eutychemi ex duabus naturis unam evasisse exponunt, illud certum est, una semel in Christo natura constituta, totam subverti incarnationis veritatem et redemptionis œconomiam, prout et nestoriana hypothesi utrumque labefactari animadvertimus. Ex catholice igitur fidei regula, quæ mediâ inter utramque hæc in via incedit (a), uti unicam in Christo personam adstruimus, sic duplicem in eodem Christo vindicare tenemur naturam eamque integram atque perfectam incarnatione peractâ.

PROPOSITIO.—*Dux sunt in Christo naturæ integræ, distinctæ, inconfusæ atque impermixtæ.*

Propositio hæc est de fide, ut constat ex definitione concilii chalcedonensis statuentis: Christum, Filium, Dominum, unigenitum in duabus naturis inconfuse, incommutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum; nusquam sublata differentia naturarum post unionem, magisque salva proprietate utriusque naturæ, et in unam personam atque subsistentem concurrente (b).

Cujus quidem definitionis veritatem illa omnia scripturarum testimonia invictè ostendunt, quibus singillatim Christum verum Deum et Filium Dei vindicavimus, et eundem verum hominem et filium hominis esse ostendimus, ac rursus eundem Filium Dei et hominis esse adstruimus adversus socinianos, phantasiastas ac nestorianos, quæ non sine fastidio, huc denno congereremus. Brevitatis causa duo hic tantum arguimus alterum ex s. Joanne collato cum evangelistis reliquis; alterum ex apostolo Paulo. Joannes loquens de Verbo quod erat apud Patrem et Deus erat I. 14. ait: « Verbum caro factum est et habitavit in nobis » hujus autem Verbi incarnati genealogiam tenuerunt s. Mattheus et s. Lucas ut ostenderent ex semine Abraham et David progènitum esse; atqui Verbum genitum non est ex Abraham et David secundum naturam divinam, ergo genitum est secundum naturam humanam. Ergo Verbum caro factum utramque habet naturam, divinam secundum æternam generationem ex Patre, humanam secundum temporalem generationem ex matre. Quare idem Joannes Christum verum hominem esse ostendit illis verbis ab ipso prolatis: « Queritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum (c); » et verum Deum

(a) Duabus hæc hæresibus aptari optime possunt, quæ de sabelliana et cerinthiana impietate non minus vere quam eleganter scripsit Novatianus vetus auctor in lib. de Trinitate c. XXX. « Reverta quasi inter duos latrones crucifigitur Dominus, quomodo fixus aliquando est, et ita excipit hæreticorum istorum ex utroque latere sacrilega convitia » in calce opp. Tertull. ed. Pamelii p. 1052 E.

(b) Actione V. in collect. Hard. tom. II. col. 435. Annadvertisandum tamen est in gr. textu Hard. legi *ex duobus naturis* et *duabus naturis*, in latino autem *in duabus naturis*, prout pariter legitur in collect. labbeana in posteriori autem edit. Binii habetur *ex duobus naturis*; Petavius contendit veram lectionem esse *ex duobus naturis*. Ipsi e. lib. III. c. V. §§. 11 et 12. (c) Jo. VII. 10.

prædicat dicens: « Hic est verus Deus et vita æterna (a), » et hæc: « quidem Joannes de Christo post unionem duarum naturarum: ergo si Christus post unionem verus Deus et verus homo prædicatur, utramque naturam post unionem integram, distinctam, inconfusam atque impermixtam habuit, alioquin neque vere Deus et vere homo fuisset et esset. Non minus luculenta sunt quæ in hanc rem scribit apostolus Paulus. Rom. I. 4. « De filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem » ergo Christus et Deus est utpote Filius Dei proprius, et homo est utpote ex semine David procreatus, idemque recurrit argumentum modo institutum.

Eandem veritatem concilia œcumenica ante chalcedonense celebrata professa sunt in fidei symbolis. Nicæna enim synodus postquam definiit filium unius substantiæ esse cum Patre, mox de humana natura hæc subjicit: « Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelo, et incarnatus est... et homo factus est: passus, etc. » Duplicem igitur in Christo agnovit synodus post unionem naturam. Hoc vero symbolum tum constantinopolitana synodus tum ephesina ad verbum recitarunt, et amplexæ sunt, ut de subsequentibus taceam.

Tot vero patres ejusdem veritatis assertores et testes habemus quot vel adversus cerinthianos, ebionitas, samosatenos, paulicianos, photinianos, arianos Christi divinitatem, vel adversus docetas, valentinianos, gnosticos omnes Christi humanitatem propugnarunt. Tot insuper habemus quot adversos apollinaristas utriusque naturæ integritatem et distinctionem vindicaverunt. Tot denique quot naturas duas in Christo unitas expresse post incarnationem asseruerunt, qui innumeri prorsus sunt, quorum loca singillatim si quis percensere vellet, vix integro volumine complecteretur (b).

Reliquum est, ut argumentis theologis rem totam absolvamus: Si ex duabus naturis ante unionem, ut monophysitæ contendunt, una post unionem natura effecta est, id vel *commixtione*, seu *mutatione*, vel *conversione*, vel *compositione* contigisset. Totidem enim modos diversos factionis eutychemianæ fautores ad commentum de unica Christi natura exponendam recensuisse vidimus. Atqui nullo eorum contingere id potuit.

Non *commixtione* quæ in elementis apparet, ex quibus mixtorum corporum substantia conflatur. Nam præterquam quod a sano sensu abhorret, excogitare divinam substantiam cum alia qualibet commisceri, ita ut amittat proprietates suas, sic commixta nova substantia nec divina nec humana foret: Christus propterea nec Deus nec homo esset, sed nova natura novo nomine appellanda. Longe aliter profecto ss. litteræ et antiquitas exposcunt, quæ Christum Deum et hominem prædicant consubstantialem Patri secundum divinitatem, consubstantialem vero matri secundum humanitatem.

(a) Jo. XVII. 3.

(b) Cf. Petav. I. III. cap. VI et VII.

Non *conversione*, per alterutrius nempe naturæ extinctionem, ut aqua in vinum conversa est in nuptiis Canæ, vel ut exemplo utar eutychemianorum, perinde ac gutta mellis in oceanum projecta omnem naturalem suam amittit proprietatem et in aquam vertitur. Etenim vel divina natura conversa esset in humanam, ut stolidè nonnulli illius factionis homines commenti sunt, vel humana natura, quod plerique illorum dicunt, conversa esset in divinam, aut ab ea saltem fuisset absorpta et extincta. Porro primum repugnat divinæ naturæ immutabilitati; alterum repugnat finitæ naturæ conditioni; tertium denique si admitteretur unica permanente divina natura in Christo, jam actum esset de unionem naturarum, ac de incarnationis mysterio, et divina natura passa et mortua esset; quæ omnia et a fide et a ratione repudiantur.

Non denique *compositione*, ejusmodi reperitur in humana natura quæ ex substantia spiritali et corporea coalescit, prout jam fert communis eutychemianorum sententia; sane ideo duæ substantiæ concurrunt ad unam hominis naturam constituendam quia neutra in se perfecta est in ratione naturæ, sed sunt invicem coordinatæ ad integram naturam efformandam. Hinc anima non est homo, neque homo seu natura humana est corpus, et una pars altera indiget ad totum illud perfectum unumque constituendum quod humana natura est. Contra vero utraque natura in Christo integra est, perfecta atque in ratione naturæ completa, nec altera natura naturam alteram ut partem postulat ut talis sit. Siquidem natura divina tota in se perfecta est, neque est ordinata ad aliam substantiam, ut naturam constituat: sic etiam natura humana in se perfecta est, nec alia substantia indiget ut naturam pariter efficiat. Hinc anima et corpus inter se coire debent ad naturam, quæ humana dicitur et sub hoc respectu simplex et individua est, constituendam; divinitas vero et humanitas utpote perfecta et in ratione naturæ complete nequeunt tanquam partes inter se componi ad unam naturam efficiendam, quæ in absurda acephalorum hypothesi nec divina nec humana foret, ac propterea Christus nec Deus nec homo esset (a).

Sive igitur sacras scripturas, sive universam traditionem, sive demum theologica principia consulamus, constat, quod ab initio proposuimus duas esse in Christo naturas integras, distinctas, inconfusas atque impermixtas.

DIFFICULTATES.

I. Obj. Totam incarnationis œconomiam complexus est Joannes I. 14. scribens I. « Verbum caro factum est » 2. eodem scilicet sensu quo c. II. 9. refert « Aquam vinum factum; » porro aqua vinum facta est per veram conversionem; 3. quod pariter Apostolus Philipp. II. 7. declarat scribens: « Qui cum in forma Dei esset... semetipsum exinanivit formam

(a) Cf. Pet. I. III. c. VIII. IX. X. nec non s. Th. Cont. gent. lib. IV. cap. XXXV. et II. p. q. II. a. 1.

servi accipiens; » nulla autem intercessit Verbi exinanitio nisi aliqua supponatur facta conversio. Ergo.

R. ad I. D. Per assumptionem humanitatis in Deum, C. per conversionem divinitatis in carnem N. ut patet ex verbis immediate sequentibus « et habitavit in nobis, » « Hoc est, ut ait S. Ambrosius, illud Verbum, quod carnem suscepit, hoc habitavit in nobis, hoc est, in carne habitavit humana, et ideo Emmanuel dictus est, *nobiscum Deus* (a); » sic etiam S. Jo. Chrysostomus: « Subdit enim, *et habitavit in nobis*, ac si diceret: nihil absurdum suspicaris ex hoc dicto, *factum est*. Non enim immutabilis naturæ mutationem, sed habitationem dixi. Habitans autem non idipsum est quod habitaculum; sed aliud. Aliud enim in alio habitat; alias non esset habitatio... Aliud vero dixi secundum substantiam. Nam unitate et conjunctione Deus Verbum et caro unum sunt: sine ulla confusione, vel substantiarum ablatione; sed per unionem ineffabilem, inexplicabilemque (b). » Adde ex monophysitarum expositione illud absurdum sequi incommutabilem divinitatem in carnem esse mutatam atque conversam. Adeo stupidi sunt hæretici in suis erroribus propugnandi!

Ad 7. N. paritatem ex diversa substrata materia; alioquin si quoties in scripturis vox *ipso facto factum est* conversionem proprie dictam significaret, sequeretur Christum conversum esse in *maledictum* (Gal. III. 13.); in *peccatum* (II. Cor. V. 21.), ut recte patres adversus apollinaristas colligebant (c). Quod impium pariter ac insanum esset.

Ad 3. D. « Assumendo mutabilitatem nostram, ut loquitur s. Augustinus, C. mutando divinitatem suam » (d) N. Exinanivit itaque Verbum quodammodo semetipsum assumendo naturam abjectam et humilem infinitoque intervallo a divina distantem, seseque obiciens in hac assumpta natura paupertati, ludibriis ac morti denique ipsi, ut sequentibus verbis exponit idem Apostolus.

II. Obj. Ex sanctis patribus 1. alii affirmant convenisse divinitatem et humanitatem in Christo ea ratione, quæ in humana natura constituenda conveniunt anima et corpus ex quibus non nisi una exurgit natura, ita præ cæteris s. Leo M., s. Cyrillus alique passim (e); 2. alii comparant incarnationem cum eucharistia in qua panis per veram transmutationem fit corpus Christi, ita s. Justinus Apol. I. n. 66.; 3. alii expresse docent « Ex duabus naturis unionem esse factam; post unionem vero unam esse naturam

(a) Lib. de dom. incarn. sacramento c. VI. n. 59. ed. maur.

(b) Aom. XI. al. X. in Jo. n. 2. ed. Maur. Tom. VII. Sed legi meretur integra homilia, quæ tota est de hoc argumento, in qua visus est s. Doctor impugnavisse eutychemianos etiam ante quam orti essent.

(c) Inter ceteros s. Jo. Chrysost. in modo cit. homil. eodem loco.

(d) Lib. VII. de Trin. c. III. n. 5.

(e) Apud Petav. lib. IV. cap. III. §§. 14. seqq. tum c. VI. §. 1. seqq.

Verbi incarnatam in Christo (a), ita s. Cyrillus; et ante ipsum s. Athanasius imo et Julius Romanus Pontifex (b). 4. Sunt præterea ex veteribus, qui admittunt naturarum *immediationem* et *circuminsessionem* quam græci *περιχλορησι* vocant; 5. sunt qui divinitatis eum humanitate conjunctionem appellant *mixtionem*, *mixturam*, *conversionem*, quibus sane similibusque nominibus (c) satis aperte innuunt unam ex duabus Christi naturis compositam et commixtam esse. 6. Sic inter ceteros s. Gregorius Nyssenus Orat. IV. contra Eunomium, et in Ep. ad Theophilum, qui talem in Christo utriusque naturæ mixtionem adfruit ut affirmet 1. humanum corpus cum a Verbo assumptum est, id factum esse, quod est ipsa natura divina assumens, atque naturam humanam in id quod divinum est esse mutatam; 2. carnem divinitati commixtam non amplius in suis terminis et proprietatibus mansisse, sed hac mixtione divinitatis participasse virtutem, eo fere modo, inquit, quo si aceti gutta in oceanum projiciatur ipsa per hanc mixtionem fit mare, suamque amittit qualitatem naturalem (d). Ergo.

R. Ad 1. D. Ad personæ seu suppositi unitatem significandam, C. unitatem naturæ N. prout luculenter exponit auctor symboli athanasiani dicens: «Unus omnino non confusione substantiæ, sed unitate personæ. Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus.» Frequenter enim hac similitudine utuntur patres adversus nestorianos; ex adversariorum proinde indole quos impugnabant determinatur similitudinis scopus et sensus.

Ad 2. D. Quoad præsentiam, C. quoad conversionem N. Quomodo scilicet in eucharistia est vera caro, et verus Christi sanguis, ita in incarnationis mysterio vera est natura divina et humana in unitate personæ. Id patet ex integro Iustini contextu; alioquin non affirmasset ibidem n. 63. de Christo: «Qui cum Verbum sit primogenitum Dei, Deus etiam est.» Sed præstat ipsam objectum locum in medium adducere: «Quomodo per Verbum Dei, ait, caro factus Jesus Christus... et carnem et sanguinem habuit nostræ salutis causa; sic etiam in alimonia eucharistia... incarnati illius Jesu et carnem et sanguinem esse edocti sumus (e).»

Ad 3. D. Ac propterea hoc ipso docent duas esse in Christo naturas divinam et humanam subsistentes in una divini Verbi persona, C. unam naturam tantum N. Talem re ipsa sensum hujus dicti, quod omnium primus s. Cyrillus usurpavit, exponit et decla-

(a) S. Cyr. ep. 1. ad Succes. opp. ed. paris. 1638. tom. V. p. II. p. 157.

(b) Apud Pet. l. IV. c. VI. §. 5. seqq.

(c) Patres duarum naturarum unionem passim vocarunt *coagmentationem*, *concretionem*, *confabulationem*, *insertionem*, *temperationem*, *cooptationem*, *connezionem*, *copulationem*, *adhesionem*, *cohesionem* etc.

(d) Op. ed. paris. 1615. tom. II. p. 144. seqq. et p. 697.

(e) L. c. Cf. eruditam P. Marab. præfat. edit. opp. s. Iustini P. II. c. 4X. §. 7. seqq.

rat ipsemet s. Pater. Cum enim eam, ob causam in suspicionem hæreses Apollinaris apud nonnullos venisset, quasi non aliam in Christo naturam præter divinam agnosceret, ab hac suspitione strenue semetipsum liberat in ep. II. ad Successum, quæ tota est de hoc argumento. Etenim n. 1. ostendit Christum, seu potius Verbum passum esse in assumpta natura, non in divina, ut ipsi objiciebatur consequi ex sua formula; n. 2. demonstrat duarum naturarum unionem factam esse in eadem persona Verbi circa permutationem, confusionem, conversionem atque immixtionem humanæ naturæ; n. 3. declarat Christum post unionem et perfectum Deum et perfectum hominem existere, consubstantiali Patri secundam divinitatem, secundum humanitatem vero consubstantiali nobis. Propius deinde accedens ad formulam a se adhibitam addit: «Nam si dicentes unam Verbi naturam, tacuissent ac minime adjuxisse-mus, *incarnatam*... esset illorum fortasse oratio non inepta... sed quia et illa in humanitate perfectio, et essentia nostræ declaratio illata est dum dicimus *incarnatam*, desinant baculo inniti arundinea... si in eo quod illum incarnatum esse dicimus, perspicua et certa confessio continetur, qua etiam hominem esse factum profitemur; nihil jam intelligere prohibet, Christum, cum sit unus ac solus filius, eundem Deum esse et hominem, ut in deitate, ita etiam in humanitate perfectum (a).»

Quæ quidem Cyrilli verba adeo perspicua sunt, ut ex his obscuriora alia quævis explicari jure optimo possint. Quomobrem etsi Cyrillus affirmare quandoque videatur humanitatem et divinitatem sic in Christo unitas esse, ut sola mentis cogitatione secernantur; etsi non divisionem tantum, sed veram etiam et realem distinctionem naturarum videatur inficiari; etsi denique post unionem nominis unam in Christo naturam videatur adstruere (b): attamen longe alia est Cyrilli, et Eutychie causa. Ille enim ut vidimus, constanter professus est duas in Christo naturas inconfusas et impermixtas, quod Eutyches pertinacissime negavit. Cum igitur affirmat Cyrillus duas in Christo naturas sola mentis cogitatione distingui, earumque distinctionem videtur inficiari, non de naturis ipsis in se, sed de admirabili illo nexu ac indissolubili loquitur vi cuius utraque natura in personæ unitate copulatur. Quam ob causam unam adstruit post unionem Filii Dei naturam, verumtamen *incarnatam*. Itaque etsi unam nomine, re tamen ipsa duplicem in Christo naturam agnoscit (c).

Athanasii et Julii, quæ proferuntur scripta, nec non et Gregorii Thaumaturgi fidei expositionem ex qua nonnulla, quæ eutychieana impietati favere vi-

(a) L. cit. p. 145. seqq.

(b) Nec illud absque animadversione est dimittendum nupjam s. Cyrillum dixisse ex duabus naturis ante unionem unam esse effectam, quod tamen usurpavit Eutyches cum suis asseculis.

(c) Cf. Petav. l. IV. c. VI. et VII. in quibus accurate tum genuinum sensum Cyrilliani dicti exponit, illudque a præva interpretatione vindicat.

dent, opponunt adversarii, spuria omnino esse ac supposititia jam compertum penes criticos est; vel saltem loca in quibus s. Cyrillus Athanasio adscribit formulam de una natura incarnata, a Dioscore fuisse corrupta (a).

Ad 4. D. Ad significandum artissimum utriusque naturæ nexum, et sine confusione et mutatione distinctionem, C. ad inducendam confusionem et mutationem N. Etenim *immediatio* esse nequit nisi duorum, nec naturæ in se invicem immeare possunt, nisi artissime constringantur et consocientur. Atqui tota ratio incarnationis duplici hac notione continetur *unionis* et *distinctionis*, aptissime igitur Patres his vocibus utebantur ad incarnationem exponendam, ejusque rationem compendio colligendam, præsertim cum hujusmodi *perichoresi* sive mutua immedatione naturarum illi uterentur, ut maximum illum excellentiæ ac dignitatis splendorem explicarent, qui ex divina in humanam Christi naturam pronabat.

Ad 5. D. Salvis et integris manentibus utriusque naturæ proprietatibus, C. per harum destructionem N. Nempe mixtionem dicebant duarum naturarum unionem, qualis decet substantias incorporeas Verbi scilicet et animæ humanæ; qua mediante juxta doctrinam apud Patres veteres receptissimam, Verbum suscepit corpus (b); minime vero eo sensu unionem

(a) Cf. Pet. ib. c. VI. §. 7. Mirum autem est nonnullos protestantes, qui critici audire maxime contendunt, inter opera genuina accessuisse epistolam sub Julii nomine exaratam qua abusi sunt eutychieiani. Cum enim ejusmodi epistolam edidisset Muratorius in *Anecdotis græcis* p. 342. addita diquisitione, qua *videlicet* illam multis nominibus arguit Augustus Salig. centuriarum stultitiam emulatus spuriam hanc epistolam vindicare, et Julii pontifici adserere contra animadversiones Muratorii tentavit. Cf. Acta lipsien. an. 1724. p. 420. Germanas Julii pontificis epistolas exhibet P. Constant. l. I. epist. RR. PP. p. 550. seqq.

(b) De trito hoc patrum axioma, Verbum nempe, *mediante anima*, carnem assumpsisse, cf. Petav. l. IV. c. XIII. ubi ostendit mentem revera fuisse patrum, animam interponi debuisse, tanquam medium, quo extrema duo, Verbum omnium et carnem, nihilum atque abhorrentia conciliari et uniri inter se necesse fuerit. Hoc enim argumento seu principio patres utebantur disputantes adversus arianos illos, qui Christo homini veram animam denegabant, et adversus ethiocos, qui putabant non decere majestatem divinam contagione carnis ac sordibus infici, quibus respondebant, quod interventu spiritus, hoc est animæ, vel mentis, cum carne copulatus sit Deus. Imò interdum animæ ipsi, mediante mente, Verbum divinum se conjunxisse dicebant, ut sic ex propriis principis refellerent apollinaristas, qui duce Platone inter animam et mentem distinctionem interponentes, attribuabant Verbum animam assumpsisse sed ratione seu mente carentem. Itaque non eo tantum sensu dixerunt patres Verbum mediante anima carnem seu corpus sibi conjunxisse, quod anima ipsa causa sit, seu finis aliquo modo carnis cum Dei Filio copulandæ, ut passim cum s. Thoma III. p. q. 6. a. 1. et q. 50. a. 2. ar. 2. in scholis traditur. Hinc immerito hac de causa vapulat Feller a. card. Gerdlino in *Animadversionibus in notas fellerianas*, de quibus postea. Adversus tamen eundem Feller notandum est divinitatem non minus immediate corpori quam animæ esse conjunctam, et quod dicitur, *mediante anima*, vel *mente* tantum aut corpus Verbum suscepisse, id non tem-

illam *mixtionem* vocabant, quæ juxta eutychieianum errorem novam aliquam naturam constitueret, ut in corporum mixtione contingit. Eadem vocabula a catholicis et hæreticis usurpata sunt, at mente longe diversa. Illi ut adstruerent summam naturarum unionem in divini Verbi persona atque hac ratione sese opponerent nestoriano dogmati: isti ut inducerent confusionem et immixtionem naturarum; hæc voces enim utrumque sensum præferre possunt. Hinc notiones a dictionibus separemus oportet, apud imitatione, ut quidam præclare dixit, quæ ad flores alyolantes inde favos colligunt, et folia relinquunt (a).

Ad 6. D. Salva natura humana, ut ipsemet declarat, et per conversionem improprie dictam, C. absorpta humana nostra per conversionem proprie dictam N. Id patet ex scopo quem sibi proposuit s. Gregorius Nyssenus. Ipse enim ostendere voluit humanæ naturæ præstantiam et splendorem quem obtinuit ex tam arcto cum divinitate consortio, quo vel ante mortalitatem, patiendique depositam et extantam conditionem, tota in potioris, nempe divinæ naturæ censum translata sit, iis duntaxat reservatis, quæ humanitatis propria sunt, eique congruenter annexa; qui status maxime post Christi resurrectionem obtigit (b). Ad hunc porro infinitum excellentiæ ac dignitatis splendorem, qui ex divina natura tam arcte cum humana constricta, in viliores hanc inferioremque redundat aliqua ratione adumbrandum diversis similitudinibus patres usi sunt. Alii enim ferri igniti, alii aëris luce perfusi, alii superexcedentis luminis quo lumen minus evanescere videtur similitudinem protulerunt (c). S. Gregorius Nyssenus vero usus est ad eundem finem similitudine aceti guttulæ in mare projectæ, qua adeo eutychieiani abusi sunt. Ceterum apposite Anastasius Sinaita in Odego c. XIII. in hanc rem scribit: «Divinus Gregorius mentionem fecit pelagi et aceti non ut res ipsas confunderet, sed ut exemplo aliquo tenuitatem et parvitatem nostræ naturæ cum infinito et incomprehensio illo divinitatis pelago comparatæ demonstraret (d). Dum propterea Christi carnem asserit Gregorius non amplius in suis terminis et proprietatibus mansisse, non de proprietatibus essentialibus, sed de accidentalibus, ut vocant, locutus est, sine quibus salva et integra consistere potest humana natura. Sed præstat ex hac ipsa oratione IV. contra Eunomium verum s. Gregorii sensum promere. Vix enim dixit quod humana natura «Cum divinitate temperata non amplius in suis terminis et proprietatibus manet» ut seipsum explicans immediate subdidit: «Carnis tamen et divinitatis *poræ*, sed *ordine* esse intelligendum; nam Verbum uno eodemque temporis instanti totam humanitatem sibi conjunxit.

(a) Auctor homil. XVIII. tom. V. opp. s. Jo. Chrysost. p. 106.

(b) Quo spectant, quæ ex ejusdem S. patris Antirrhético a Laur. Alex. Zacagnio vulgato in *Collectaneis monumentorum veterum Ecclesiæ græcæ* tom. I. Romæ duriuscula objici solent, de quibus Cf. eundem Zacagnium in præfat. n. XXI. et seqq.

(c) De quibus cf. Petav. l. IV. c. XIV. §. 5. et seqq.

(d) Edit. Gieseri S. J. Ingolstadt. 1696. p. 249.

proprietatum inconflata permanet contemplatio; quod deinceps fuisse prosequitur (a).

ARTICULUS IV. — De duplici in Christo voluntate et operatione.

Ex hominibus eutychniana huc infectis prodit monothelitarum hæresis, eorum scilicet qui unam in Christo voluntatem et operationem professi sunt. Huius erroris semina jecit an. 650. et Heraclii imperii XX. iacobitarum patriarcha Athanasius qui suis artibus imperatorem in fraudem induxit. Agentibus deinde Sergio occulto et ipso hæretico iacobita patriarcha constantinopolitano et Cyro Phasidis primum episcopo ac postea alexandrino patriarcha, majus robur ac firmitatem nova hæresis nacta est. Interea Sophronius doctus et sanctus monachus qui paulo post ad ierosolymitanam cathedram evectus est Cyro, qui omnium primus publice dogma de unica in Christo voluntate proposuerat, fortiter restitit, ac celebrata synodo scripsit ad Sergium prius, deinde per Stephanum dorensem episcopum litteras misit ad Honorium Romanum Pontificem, quibus de nova monothelitarum hæresi certiorum illum reddidit. Verum eodem anno, quo Sophronius, scripsit pariter Sergius ad Honorium, et ea quæ a Cyro et Sophronio gesta erant exposuit, ita tamen ut eos qui duas in Christo voluntates adstruebant suspectos redderet, quasi duas in Christum contrarias pugnantibusque invicem voluntates inducerent. Quare consiliis videri sibi, ut nec una, nec duæ in Christo nominarentur voluntates, sed unus duntaxat operans. Ad hæc respondens Honorius illud Sergii consilium approbat retinendæ concordie gratia, unaque proficitur in Christo voluntatem, ut sic intercluderet voluntatum conflictationem inter se pugnantium, prout Sergius ab asserentibus duas voluntates iudicari affirmabat.

Œconomicum silentium probavit pariter Heraclius eadem Sergii fraude deceptus in Ecthesi seu fidei professione quam circa hæc tempora edidit, nomine quidem suo, a Sergio tamen conscriptam, ut imperator declaravit eam cognovit a Severino aliisque romanis pontificibus eam rejici ac damnari. Suasione Pyrrhi constantinopolitani patriarchæ hæretici pariter monothelitæ Constantius tertius ab Heraclio in imperio successor aliud promulgavit edictum quod *Typicum* vocavit quo silentium indicabatur tum unam tum duas voluntates in Christo asserentibus; quod pariter Romæ proscriptum est. Sic præca hæresis dilatata est donec sub Constantino Pogonato imperatore catholico

(a) Cf. de hoc argumento præter sepe cit. Auct. P. Michaelis Lequien. dissertat. II. Damascenicam *De quibusdam auctoritatibus, quibus Eutychnes alique unius in Christo naturæ assertores, hæresim suam tuebantur.* Thomassium de Incarnat. Verbi lib. III. c. III. seqq. Galanum *Conciliationis ecclesiæ armenæ cum Romanæ Romæ 1658. t. I. P. II. p. 175. seqq.* Consuli etiam possunt Theoriani *Disputatio cum Syris Jacobitis* quam ex vaticano codice edidit et cui vers. latinam adjecit card. Major in Scriptorum veterum nova collectione Romæ 1852. t. VI. p. 514. seqq. et Na. Alex. Diss. XXIV. in sec. V.

et Agathone Rom. Pontifice an. 680. Constantinopoli concilium œcumenicum VI. et constantinopolitanum III. celebratum est, in quo asserta est catholica veritas, ac proscripta hæresis cum suis auctoribus et factoribus (a).

Quod in aliis hæreticis factum constanter est in non solum a veritate sed a se invicem in errore profitendo dissentirent, in monothelitis etiam contigit. Valde tamen interest illud in quo præcise horum hæresis constiterit nosse, quia ex hoc questionis status pendet qui nos inter et monothelitas intercedit.

In eo igitur omnes conveniebant monothelitæ ut unam in Christo assererent voluntatem, atque ex hoc præcipuo ipsorum dogmate nomen sortiti sunt.

Verum cum *voluntatis* vocem tum possit significari *naturalem volendi facultatem* (energiam græci appellant), tum ipse *voluntatis actus* (*θέλημα thelema* ab iisdem vocatur); et hic rursus bifariam dividatur, in actum scilicet *physicum* et *necessarium*, et in actum *deliberatum* ex iudicio, quod vocant *practicum*, proficiscentem (Græci priorem dicunt *θέλημα πρακτικόν*, posteriorem *θέλημα γνωστικόν*); hinc videndum superest in quo error monothelitarum versaretur, seu quomodo voluntatem ex recensitis in Christo monothelitæ negarent.

Porro ipsi pervicaciter inficiabantur in Christo inesse voluntatem humanam naturalem sive prout *facultatem* significat, sive prout significat *actionem*, ne si naturalis esset, ut ipsi autumabant, esset item necessaria. Hinc non nisi voluntatem electivam in Christo admittent, quam et *personalem* esse dicebant. Ex quo in ipsorum hypothesis consequens erat unam voluntatem naturalem in Christo existisse, quia si duæ forent, jam essent juxta ipsos mutuo sibi contrarie, adeoque altera bona, altera mala, prout deliberationis conditio exposcit.

Hinc licet monothelitæ voluntatem, seu facultatem volendi humanam et actionem naturalem sive humanam operationem reipsa rejicerent in Christo, tamen non nisi timide et quasi eunctanter id profitebantur, ne invidiam in se perversi dogmatis concitarent. Cum enim facultas et naturalis operatio propria naturæ sive substantiæ sit, perinde erat unam adstruere in Christo naturalem operationem sive voluntatem naturalem, ac unam in ipso predicare naturam: id verò cum esset aperte hæreticum et a concilio chalcedonensi damnatum, ab hac loquendi ratione summo opere cavabant. Silentium potius commendabant circa unam vel duplicem operationem: imò ut silentium circa hunc articulum ab omnibus servaretur per imperatorum edicta, ut vidimus, satagebant. Contenti propterea erant unam voluntatem palam in Christo profiteri rati ita plausibilis dogmasuum fore. Cum enim hæc vox ambigua sit, et tum

(a) Cf. Petav. l. I. cap. XIX. seqq. Alios antiquos et recentiores, qui scripserunt de monothelitarum hæresi vide apud Fabricium Bibl. græc. t. X. p. 204. seqq. quibus addi potest Apologia pro Honorio I. Rom. Pontif. Jo. Bapt. Barjholi feltricensis episcopi, vol. I. in 4. Anagnini 1730. a cap. I. ad IX.

voluntatem prout naturalis facultas est, tum actionem deliberatam ac liberam æque significet, sive ex iudicio pratico prodeuntem, dum unam adstruebant voluntatem, putabant non aliter accipi quam si unam dicerent consentientem et concordem utriusque naturæ voluntatem, nec humanam a divina dissentientem; catholicos vero duarum voluntatum assertores traducebant tanquam defensores pugne ac dissidii voluntatum in Christo. Hac ratione fucum imperitis faciebant. Accedit quod cum deliberata voluntas hypostasis sive personæ sit (quippe velle simpliciter naturæ proprietatis est; *hoc autem vel illo modo velle personæ, uti s. Maximus M. docet*), cum una sit hypostasis in Christo eo magis concludebant unam esse in eo voluntatem.

Ceterum hanc unam quam monothelitæ in Christo admittent voluntatem cum Dionysio vulgo areopagita vocabant *theandricam*, seu *deivirelem* ex divina scilicet et humana voluntate coalescentem, ita tamen ut divina active, humana vero omnino passive se haberet. Hinc vocabant humanam naturam proindeque voluntatem, instrumentum divinitatis; quem admodum vero instrumentum nihil per se agit et operatur, sed omnem actionem suam ab externo impulsu et principio mutuatur; atque uti corpus nostrum instrumentum est animæ nostræ, nec ex se agit, sed agitur ac movetur ab anima, ita illi humanam Christi naturam omni carentem actione ac voluntate constituiebant, rationali præsertim et intelligentis propria. Quare in istorum systemate stirps, et vitalis facultas et potentia in divinitate inerat, a qua deinceps in humanitatem manabat et profuebat, citra principalem vim et causam agentis efficientiam (a).

Ex his intelligitur nostri muneris esse adstruere in Christo voluntatem naturalem duplicem, divinam et humanam, non solum quatenus voluntas humana pro facultate accipitur, sed etiam quatenus actionem et operationem hæc vox denotat; tum ostendere ejusmodi actionem et operationem humanæ naturæ activam esse, seu ex proprio motu profuere. Quod ut obtineamus sit

PROPOSITIO. — Duæ naturales operationes et voluntates indivisæ et inconflatæ in Christo sunt confitendæ.

De fide est hæc propositio, totidem enim verbis hæc veritas definita fuit in conc. œcumenico VI, seu constantinopolitano III. Etenim « Et duas naturales voluntates in eo (Christo), aiunt hujus concilii Patres, et duas naturales operationes, indivisæ, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconflatæ, secundum sancti patrum doctrinam adque predicamus (b) »

Jam vero scripturarum auctoritate in primis ejusmodi doctrinam fulciri, duas nempe naturales operationes in Christo inesse, tot testimoniis evincitur,

(a) Cf. Petav. l. c. tum lib. VIII. c. I. seqq. Exinde patet graviter illos scriptores hallucinari, qui censent hæresim monotheliticam consistere in sola negatione actionis in voluntate humana.

(b) In collect. Hard. t. III. col. 1599.

quot divinas et humanas scripturæ distincte Christo tribuunt actiones et operationes, quæ innumera prorsus sunt; divinas quidem, ejusmodi sunt vaticinia et miracula, quæ non nisi divina virtute effici possunt, et tamen a Christo patrata scripturæ exhibent, ut iis sibi propriam divinitatem asserenti fidem conciliaret. Humanas vero ejusmodi eæ sunt, quas idem Christus consulto in eum finem exercuit, ut homo crederetur, ut sicut ambulare, loqui, cibo ac potu reficeretur, esurire, sitire, lassari, exultare gaudio, mœstitia angere, lacrymari, pati, vulnerari, ac per summos denique cruciatus animam profundere, quæ nec divinitas operari, ac suscipere sola in se potest: has tamen singulis fere paginis sacræ scripturæ præsertim Novi Testamenti recensent. Cum igitur absurdum omnino sit, quæ sunt propria humanæ naturæ divinæ adscribere, aut quæ divinæ naturæ et virtutis sunt, humanæ tribuere naturæ, consequens est pro utraque, quæ præditus fuit Christus, distincta natura divina et humana, distincte diversas actiones et operationes eum posuisse.

Quod attinet ad voluntates prout hæc facultates naturales et naturales operationes, sive naturæ motiones sunt, duas pariter in Christo eas existisse ex modo dictis jam colligitur; hæc enim ipso quod facultates et operationes sint, cum ostenderimus ex sacris litteris duplicis generis operationes distincte et inconflatæ in Christo inesse scilicet divinas et humanas, constat utramque pariter voluntatem et operationem naturalem distincte et inconflatæ in eodem reperi.

Jam præstat idipsum ostendere quod has voluntates prout actus elicitos, sive *volitiones*, ut vocant, significant, divinam et humanam in Christo fuisse, quod proterve negabant monothelitæ. Quod spectat ad divinam, non est cur de hac adstruenda solliciti simus, cum eam illi hæretici ultro in Christo esse concederent, imò solam esse contenderent. Reliquum igitur est ut ex sacris litteris evincamus Christum habuisse voluntatem humanam, liberam et juris et potestatis suæ. Porro ejusmodi testimonia totidem habentur quot illa sunt in quibus voluntas Christo tribuitur distincta a voluntate Patris. Celebre est illud quod legitur Matth. XXVI. 59. et Marc. XIV. 56. « Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste: veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu »; vel ut legitur Luc. XXII. 42. « Non mea voluntas sed tua fiat. » Ibi Christus perspicue ostendit aliam sibi inesse voluntatem distinctam a voluntate Patris; atqui hæc divina esse non potuit quæ una est in ambobus, ut nemo prorsus dubitat; ergo est humana. Rursum idem Christus Jo. VI. 58. inquit: « Descendit de celo, non ut facerem voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me, » ubi idem recurrit argumentum. Hinc Apostolus Philipp. II. 8. de Christo ait: « Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem; » et ad Heb. X. 7. de Christo exponit verba Psalmi XXXIX. 8. « In capite libri scriptum est de me ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, voluntatem tuam. » Christus igitur Deo ac Patri suo eodem